

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XIIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ut Rev. T. Dignitas ita perlegat, ut iudicium suum mihi fraternè aperiatur, præsertim quod attinet sententiam Dominorum Tybingensium Theologorum, de quarto genere communicationis idiomatum. Conatus enim sum, perspicuè meam sententiam proponere, & repetere doctrinam meorum præceptorum, neque delector novitate: De omnipræsencia Christi pauca quidem attuli, sed spero, ex illis mentem meam satis posse percipi. Gratissimum mihi erit audire R. T. D. de hoc argumento sententiam. Valete in Domino quàm felicissimè & diutissimè, & quod facitis me, Vestri studiosissimum, amare pergitte. Dabantur Gieslæ Hassorum, XXVII. Febr. Anno: Me rege Chrliste DeVs.

R. V. Dignitatem

Sincero corde amans & colens

Balthasar Mentzerus, D.

XIIX.

Salutem in Servatore Christo, Reverende & Clarissime Dn. Doctor, amice & frater plurimum colende.

PERjucundum mihi fuit, ex literis tuis (sicut quoque aliorum) cognoscere de tranquillitate & Concordia fratrum, qui doctrinam libri Concordiæ syncerè amplectantur. Pro quo immenso beneficio, Christo principi Pastorum gratiæ immortales meritò debentur. Is quoque incessanter rogandus est, ut illud benef. nobis contra *хубеиу, иги паввезиу*, Calvinistarum & Jesuitarum conservet.

Non minus gratum mihi fuit audire, Reverendum & clarissimum virum, D. D. Pappum strenuè laborare in Refutatione Calumniarum Bipontinarum. Perterruit enim nos rumor jam pridem sparsus, quòd certas ob causas laborem istum è manibus deposuerit. Nos ipsi à DEO precamur vires, ut propediem hoc labore finito, opus Refutationis Bellarminianæ jamdudum cœptum, continare, & feliciter absolvere possit. Recordor enim, quòd cum ante aliquot annos, nos hic convenisset, de illius editione multa nobiscum contulerit. Et quidem ante semestrem, à Theologis Stutgardinis accepimus, Eum partem unam jamdudum ad finem perduxisse. In quo opere perficiendo ne desistat, monitor ipsi esse velis.

Quod ad M. Johannem Bechholdum attinet, jam pridem nobis innotuit singularis ipsius eruditio, & integritas morum, ex literis clarissimi Theologi, D. D. Hunnii, f. m. & Vestris quoq; ad nos superiori quodam anno missis. Quia verò nunc modò Academiæ nostræ membrum factus est, studia ipsius quovis modo juvare prompti sumus. Habitatio ipsi percommode obtigit in ædibus Cancellarii nostri, D. D.

I i i i

Andrez,

Andreae Osiandri, cibum verò in vicinia capit cum D. Doct. Beringero, Professore Hebraeo. Nos simul curabimus, ut intelligat, commendationem vestram pondus apud nos habuisse. Optimè vale, Reverende & clariss. D. Doctor, frater in Christo honorande, Tubingæ, 3. Maji, Ao. 1606.

R. D. T.

Studioff.

Stephanus Gerlachius, D.



XIX.

Salutem in Christo. Reverende, clarissime Dn. Doctor,
frater in Domino officiosè colende.

SEmel ac iterum ad V. R. D. dedi literas, sed cum ad eas nullum responsum acceperim, dubito esse redditas. Nuper ad me scripsit doctissimus juvenis, D. Justus Einzerling Thuringus, Juris studiosus in vestra Academia, quod Nobilis ipse, quem hactenus instituit, brevi sit discessurus, ac ipse sine discipulo relinquatur, quare se petere, ut ipsum, qui aliquandiu in nostra Academia versatus fuerit, V. R. D. commendarem, quò ad aliam Pedagogiam promoveri possit.

Quod igitur hunc studiosum attinet, audio, esse hominem valde doctum in Jurisprudencia & in artibus, unde etiam in nostra Academia publicè cum laude disputavit, & privatim Institutiones Juris explicavit; sese etiam modestum gessit. Quod religionem attinet, intellexi ex fide digno studioso, quod sit Lutherani ministri Ecclesie in Ducatu Coburgensi filius. Ex Academia Jenensi ad nos concessit. Et dicit is studiosus, quod in colloquiis nunquam animadverterit, ipsum Calvinistis applaudere. Sed potest V. R. D. etiam copiosè cum ipso de religione conferre, ubi citra dubium suum animum explicabit, & sic V. R. D. ipsum pro suo placito promoveri potest.

Valeat V. R. D. & Rev. ac Cl. D. D. Pappo salutem meam officiosam dicat. Datum Altorffii, 21. Maji, Ao. 1606.

V. R. D.

Deditiff.

Jacobus Schopperus, D.

XX.